

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0246

0244

0250

0240

0255

0235

0295

0195

0345

0145

0745

234

creditur in ecclesia Syon inchoatum fuisse, sed quo tempore, non legi, nisi quod anno Domini 192 ante Constantinum Magnum et ante Helenam, ante sanctae crucis inventionem, erat Narcissus episcopus Jerosolymorum. Qui dum in sabbato sancto Paschae ad officium peragendum procederet, nuntiatum est ei per ministros, quod non esset oleum nec in lechito nec in lampadibus. Audiens autem vir sanctus, fidelis, fide ministris imperat haurire aquam sibi que deferri. Aquam autem sibi allatam post orationem benedixit et infundi lampadibus praecepit. Tunc repente miro et saeculis inaudito genere virtutis natura aquae in olei pinguedinem versa et coelitus accensa, lampades splendorem solito clariorem reddunt. Hoc miraculum factum tempore paganorum (B) sub Victore imperatore et Severo imperatore, qui fuit ante Constantinum CXXI annis. Post hunc Narcissum fuerunt multi sancti episcopi in Jerusalem, et multitudo plebis Christianorum utique non sine ecclesia, quamvis ecclesia sancti sepulchri nondum esset fabricata. Et ideo tota sollemnitas erat in monte Syon usque ad aedificationem templi dominici sepulchri. De cujus initio nunc subjungam.

#### De initio templi dominici sepulchri.

Locus crucifixionis et sepulturae Domini Jesu extra portam civitatis Jerusalem facta fuit, sicut patet Johannis Cap. XVIII. et ad Ebrae. c. XIII. Qui quidem locus ab exordio quasi humani generis celebris habitus est. Dicunt etiam Adam, protoparentem nostrum, in eo fuisse sepultum et inde demto capite in speluncam duplicem, quae est in Ebron, sepultum patriarcham translatum. Ea propter apud pictores inolevit consuetudo: ad Crucifixi pedes Adae caput depingunt, et propter hanc causam filii Adae locum hunc multo tempore venerabantur. Et possibile est, eos fanum ibi propter parentis honorem constituisse, quod mansit usque ad diluvium sub Noë. Post diluvium Sem, filius Noë, qui est Melchisedech, ibi habitans in loco Calvariae occurrit Abrahae cum pane et vino, et benedixit ei. Et postea in eodem loco ad imperium Domini Abraham voluit immolare Isaac. Et serpens aeneus fuit ibi

Ende

Anfang